

dum aspargenda ei galla erit vel chalcitis curiose trita vel utraque in unum aequis ponderibus mixta: melius enim facit.

XLVII. Item bene supprimit et hoc medicamentum: mali corticis, quo coriarii utuntur, pondo quadrans, aluminis Aegyptii pondo sextans, chalcitis pondo uncia. haec trita per succidam lanam aspersum medicamentum inicere oportebit. facit autem etiam ad omnem ex qualibet parte corporis seu vulnere sanguinis eruptionem.

Quoniam interdum ita ut diximus, [minus] curati praefocari videntur et maxime cum utraque obturata spisse necessario sunt foramina narium, quia spirandi facultas eripitur, non alienum est scire, qua ratione utrumque praestari possit, ut neque spiratio interpelletur neque remedium efficacissimum, quod per oppilationem narium efficitur, excludatur. oportebit ergo sumere pinnam anseris quam maximam vel calami scriptorii fistulam modice plenam, deinde aptare ad longitudinem nasi atque ita praecidere, utraque parte ut perforata sit, involvereque ex fasciola tenui lintea quasi instita et explere circuitum eius, donec cum videatur pator narium cuneatione quadam recipere posse fistulam; atque ita ut est circumvolutam mergere aceto acri et inicere interdum per se vel asperso super acetum utro libuerit ante dictorum medicamentorum. hoc autem remedio magis uti, cum per utrasque nares sanguis abundavit.

Ad ulcera in naribus

XLVIII. Ad ulcera in naribus: plumbi stercus, quod scoriam dicunt, ex vino et murteo oleo vicibus adiecto terere oportet, donec spissum fiat, et ita per pinnam nares obteguntur.

XLIX. Facit et hoc medicamentum bene: pompholygis X p. IIII, ce-